

1587

In hac eventuum perplexitate Gallicæ res hoc anno versa-
bantur, magna omnium suspensione, quonam dissidia, qui-
bus potentissimum regnum miscebatur, essent evasura; dum
Italia interim externorum turbinum anxia spectatrix, diuturnæ pacis fructibus floreret; Xystus Pontifex ingentem thesau-
ri vim congereret; urbem egregiis ornamentis, aquæductibus,
obeliscorum erectionibus, ædificiis illustraret; siue pontifi-
catus memoriam percelebrem ad posteros transmittere cura-
ret; eisdem quoque Veneti operam darent, qui ære alieno,
superiori bello contracto, liberati, singulis annis magnam au-
ri argenteque vim, quam aliquando in belli sumptus effun-
derent, in publicum ærarium cogebant, egregiisque substruk-
tionibus quotidie civitatis splendorem augebant. Negotiatorum
quoque incommodo subvenire decretum, qui, apud pri-
vatos mensarios pecunia deposita, eorum fraude, avaritia,
crebrisque decoctionibus ingentes jacturas damnaque patieban-
tur; ex quo publicis etiam redditibus haud parva detrimen-
ta accedebant. Itaque lex lata in Senatu, ut publica mensa
erigeretur, in qua tuto singuli argentum aurumque adserva-
rent; ei Gubernator præficeretur, qui rite atque ex ordine
cuncta administranda curaret; id munus Francisco Gradi-
onicō primum tributum. Per eos dies cum Carolus Emanuel, Sa-
baudiæ Dux, ex Catharina Philippi filia Philippum Emanue-
lem primogenitum suscepisset, Principemque, ut ei sacro fon-
te abluedo adssisteret, invitasset, Augustinus Nanius a Se-
natū legatus ad Carolum est designatus. Gulielmo vero Man-
tuæ Duce vita functo, cum Vincentius filius successisset, sta-
timque id Reipublicæ significasset; qui & patris obitum dole-
ret, & gratulationis munus obiret, Franciscus Contarenus a
Senatu orator est lectus. Franciscus quoque, magnus Hetru-
riæ Dux, atque eodem fere momento Blanca Capellia uxor,
ex humanis excessere; Ferdinandus frater, qui tunc in Cardi-
nalium numero erat, successit; is Aloysium Dovarium, qui fratris
obitum, suamque successionem Patribus nuntiaret, Venetias le-
gavit. Thomas Contarenus ad eum orator missus. Stephanus
quoque Battoreus, Poloniæ Rex, naturæ concepsit: compe-
titores Sigismundus Suetiæ Princeps, Maximilianus Archidux,
Rodulphi Cæsaris frater, pari nixu ad regnum contendere;

*Venetis pu-
blicam
mensam ad
mercato-
rum com-
modum in-
stituunt.*

illi